Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1327
Quelle:
Copyright:

cii, *Tanneri*que *Catalogis* nil certi de eo ſtatui poſſit.

V. *fol.* 179. p. 2. absque titulo Ejusdem, ut e mox citatis *Catalogis* video, *Epiſtola* reſponſoria *ad V. Quaeſtiones*, quae incipit: *Quidam fidelis in domino querit caritatiue ut eſtimo quintuplicem queſtionem* &c. Quaeſtiones hae verſantur circa Amorem Dei, et habentur etiam anglice: *Five Queſtions about loving God.* Finis: *in hoc ſtatu miſerie diſrumpamus.*

VI. *fol.* 180. p. 2. et deinceps *Reſponſa* quaedam breviora de Ordinatione Miniſtrorum Eccleſiae, de Corruptione Cleri in *Anglia*, ubi de Rege *Eduardo* III. tanquam mortuo, itaque poſt an. 1377. ſermo eſt, denique de Mendicantium Ordinibus, unde ad Hiſtoriam haec noto: *Nec fuimus nos primi qui invehimus contra ipſos, ſed recenter Beatus Richardus Armacanus Epiſcopus laborauit ad purgacionem eccleſie de crucibus per ſectas fratrum nouiter introductis et laborauit* (Guil.) *Occam cum multis alijs fratribus fidelibus ad purgacionem ſuorum fratrum qui a primeua regula declinarunt et idem facit Wilhelmus de ſancto amore cum multis alijs poſtquam fratres inceperant ymmo Robertus epiſcopus Lincon. groſſe teſte* (Groſthead) *et ſubtilis ingenij invexit acute contra hos ordines prope mortem ſuam quando fuit in moribus plus maturus* &c. Haec et plurima alia *Wicleſi*, prelo nunquam ſubjecta, in Bibliothecis, praecipue *Anglicis*, delitescunt, olim nec in *Bohemia* infrequentia. Adi, ſi lubet, *Indicem.*

CCCXLI.

Codex chartaceus mixtis quibusdam membranis lat. germ. boh. Sec. XV. Folior. 280. 4. currente calamo a diverſis exaratus complectitur: I. *Quaeſtiones* ſequentes: 1°. Quot modis moriantur Homines propter peccata. 2°. Utrum Imago Dei ſit adoratione latriae adoranda. 3°. Quomodo Deus ſit adorandus vel colendus. 4°. Qualia ſint opera Hominis in mortali peccato exiſtentis. Breviter ad ſingulas et e ſanis principiis reſpondetur; improbantur tamen Imagines Dei Patris, et S. Trinitatis, ut communiter fieri ſolent. 545

II. *fol.* 3. ſequuntur non tamen ſervato temporis ordine *Nicolai de Lira* O. M. Expoſitiones *Epiſtolarum* in Dominicis, Feſtisque Domini in Eccleſia legi ſolitarum excerptae e *Poſtillis* ejus in univerſa Biblia. Initium ducitur ab *Epiſtola in Die Paſche. Fratres expurgate vetus fermentum. 1 cor. 5. Prius enim dixit apoſtolus quod modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Pro quo notandum quod in fermento duo ſunt* &c. Non improbanda induſtria Ejus, qui e vaſto *Poſtillarum* Corpore haec in uſum ſacrorum Curionum excerpſit, qui in tenui re a Corpore illo coëmendo prohibebantur; miranda potius Poſſeſſoris inferius nominandi